



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 14. Vtrùm ad incurrendum impedimentum criminis dirimentis
matrimonium, notitia impedimenti requiratur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

prio Pii V. ab Hinojosa allegatis, pauci pro foro externo suffragari meminerunt. Insuper restitutionem privilegiorum Regularium à Gregorio XIII. factam, (de qua Brunnus ubi *suprà*) P. Vazquez, ex declaratione sacre Congregationis Concilii, asserit, pro solo conscientie foro factam fuisse. Vide illum *tom. de Eucharist. disputat. 246. cap. 4. num. 43. ibi*: * Ut restantur Cardinales Congregationis Concilii Tridentini, postea idem Greg. XIII. hæc privilegia Mendicantibus contra Concilium Trident. restituit in foro conscientie. * Sic Vazquez, cui consonat Henriquez *lib. 6. cap. 10. litt. B. dicens*. * Quidam Regulares habent confirmatum post Concilium Trident. privilegium de supplemento ætatis, & fruuntur pro foro conscientie privilegiis per Tridentinum derogatis, ut concessit Pius V. *sup. cap. 6. litt. R.* * Quod tradit etiam P. Sà, *verb. Relig. num. 56. dicens*: * Pius V. voluit Mendicantes uti gratis suis, & privilegiis in foro conscientie, non obstante Concilio Tridentino. Et quamvis ejus Bullam, ubi eis multa concessit, revocaverit Gregor. XIII. tamen postea revalidavit, ut testatur Congregatio Concilii. * Hæc ille.

13. Non inficior Patrem Sà inde deduxisse: * Quarevidentur posse ordinari ante legitimam ætatem, * cui favet Henriquez *suprà*, dum concedit habere confirmatum post Tridentinum. * Privilegium de supplemento ætatis. * Hæc tamen doctrina, si pro solo conscientie foro, Regularium privilegia sint restituta, difficilis visa est Patri Vazquez ubi *suprà* n. 44. & Dicastillo de Sacram. Ordinis, tractat. 6. disput. 1. dub. 21. num. 302. Nam absque litteris dimissoriis, nullus Regularis ordinari potest, cum autem in illis veritas exprimi debeat, nequibit Provincialis testificari, subditum habere legitimam ætatem ad ordines; cum hoc falsum sit, & in privilegio non concessum, quia nequit intelligi privilegium, ut falsitas in litteris contineatur. Si verò Regularis, veritate expressa, ordinari posset virtute hujus privilegii, jam illi suffragaretur in foro externo, contra id, quod supponimus. Sic authores citati discunt. Caterum, si aliunde præfata sententia improbanda non esset, his facile occurrere posset cum Doctoribus aliis, qui, admissa privilegiorum restitutione, existimant ad ordines etiam suffragari, & litteras dimissorias veritatem continere, si superior testetur, habere legitimam ætatem, quia legitima est pro Regularibus, quam Pontifices ex privilegio talem admittunt, quamvis non attingat ætatem jure communi à Tridentino requisitam. Quapropter illam non improbat P. Vazquez ubi *suprà*; nonnullos pro ea militare, suppresso nomine, referens.

14. Sed ut omnis opinandi aditus præcluderetur, novissimè proditi decretum sacre Generalis Inquisitionis Romanæ, in quo Sanctissimus noster Alexander VII. die 18. Martii, anno 1666. prohibuit, ut scandalosam hanc propositionem, * Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum. Unde à posteriori aperte intelligitur, privilegia ejusmodi, quæ aliquandò fuerunt revalidata, fuisse tamen postea pro utroque foro revocata. Ac proinde modo improbabile prorsus esse, ordinari posse Regulares ante legitimam ætatem. Et ut refert M. Donatus p. 1. tract. 12. de Confirm. privil. quæst. 17. sol. 134. n. 23. jam erat in specie expressè probatum à Sixto V. anno 1588. *confir. 91. quæ incipit Sanctum, & salutare, folio 65r. Bullarii. Quod iterum repetit p. 3. tr. 11. fol. 196. cui prohibitioni absque dubio innititur censura Alex. VII.*

15. Addit tamen Donatus ibidem, esse probabile, Regulares quoad forum conscientie, & quietem animarum subditorum posse uti privilegiis à Concilio revocatis. * Quoad absolvendum à censuris, & dispensandum in irregularitatibus contractis. * Sed post præfatum Alexandri VII. decretum, hoc dici non potest: & ipse sibi non constat, quia *tom. 4. tract. 3. quæst. 17. ait*, oraculum Pii V. sub anno 1566. die 13. Maii, quo declaravit, Patres Minores in foro conscientie posse uti omnibus gratis, & privilegiis per antecessores Pontifices sibi concessis, etiam quoad illa, quæ fuerunt abrogata per Concilium Trid. fuisse per Sixtum V. revocatum in constitutione prædicta, quæ incipit: *Sanctum, & salutare*. Quam revocationem Clemens VIII. confirmavit, anno 1595. in constitut. quæ incipit: *Romanum Pontificem*. Quibus omnino standum est: ergò opinioni contrarie nulla in posterum remanet probabilitas, maxime post decretum Sanctissimi nostri Alex. VII. nuper adductum, quo præfate revocationes privilegiorum, etiam pro foro conscientie nobis innotescunt, quas ipse confirmavit, dum opinionem Theologorum contrarium asserentium, ut scandalosam damnavit, prohibuitque.

QVÆSTIO XIV.

*Utrum ad incurrendum impedimentum criminis dirimens matrimonium, notitia impedi-
menti requiratur?*

§. PRIMUS.

Premittuntur nonnulla.

1. **C**Rimina, quæ matrimonium subsequens dirimunt, possumus ad duo reducere. Primum est adulterium cum machinatione mortis alterius conjugis, effectu subsequuto. Secundum est adulterium cum promissione de contrahendo post conjugis mortem, vel cum contractu matrimonii de præsentem cum adultera.

2. Ad contrahenda ejusmodi impedimenta aliqua conditiones requiruntur, ut videre licet apud Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 78. & 79. in quibus assignandis Doctores non conveniunt, sed in opinionibus dividuntur: verb. grat. An incuratur impedimentum criminis, quando uxor occidit maritum ad contrahendum cum adultero? Quod negant M. Victoria, M. Petrus de Ledesma, & alii, sed contra communem Doctorem. Quia leges non magis probant de marito occidente uxorem, quam de uxore occidente maritum. Item, an sufficiat, absque adulterio mortis machinatio, quando non solus conjux alterius conjugis mortem machinatur, sed alter etiam cum quo est contrahendum? Negant nonnulli asserentes, hoc impedimentum absque adulterio nunquam contrahi. Sed hoc etiam est contra communem, quia quando uterque machinatus est mortem, non requiritur adulterium, sed quando alter tantum, ut ex variis juribus deducitur. Item, an conjugis interfectio requiratur fieri ex intentione contrahendi? Quod desiderari ad contractionem hujus impedimenti, negant Cajetanus, Petrus de

Pp 4

Soto

Soto, Armilla, & alii. Sed contra D. Thomam, & communem Theologorum, & Canonistarum sententiam. Quia iura statuentia hoc impedimentum ad hanc intentionem respiciunt. Item, an promissio matrimonii ficta, & oretentia sufficiat cum adulterio, an vera, & ex animo facta requiratur? & hanc requiri docent Henriquez, Sâ, & alii. Sed contra plures, quia in ordine ad extorquendum adulterium, spe futuri matrimonii, post mortem conjugis, æquè facit promissio ficta, alteri ignota, ac promissio vera: ac proinde eadem est utriusque ratio. Item: an promissio debeat præcedere adulterium? Affirmant M. Ledesma apud Joannem de la Cruz in director. 2. p. de Matrim. quest. 4. con. 4. Sed absque fundamento. Cum ex jure, adulterium, adjuncta promissione, matrimonium dirimat, quod utique verè datur, siue promissio antecedit adulterium, siue subsequatur. Insuper sub opinione etiam est, an promissio debeat esse mutua? An juramento etiam firmata? An adulterium utrique delinquentium? Et denique, an quod vir intra vas adulteræ semina verit? Hoc enim requirit, ait M. Corradus in Respons. cas. quest. 142. dicens: ita fuisse declaratum Romæ, quia viro non terminante, non est adulterium in sua specie completum, nam talis copula, neque ad consummationem matrimonii, neque ad impedimentum affinitatis contrahendum est sufficiens. Quæ quidem ratio æquè probat, similiter requiri, ad hoc impedimentum contrahendum, quod femina etiam semina verit, quia eâ non concurrente, non sufficere seminationem viri ad consummandum matrimonium, nec ad impedimentum affinitatis contrahendum, est probabilis multorum opinio, ut videre licet apud Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 21. n. 11. & apud Dianam 3. p. tr. 5. resol. 19. & in addit. resol. 21. & 4. p. tract. 2. resol. 43. & 5. p. tract. 13. resol. 54. & alibi. His positis.

§. II.

Doctorem sententia.

2. Quod in præfenti inquirimus, est; an ad incurrendum criminis impedimentum, sit necessarium scire, tale crimen matrimonium contrahendum dirimere? Negant communiter Doctores cum D. Thoma, apud Mag. Serram tom. 2. in 2.2. quest. 96. artic. ad tertium, & apud Dianam p. 10. tract. 13. resol. 51. Quorum fundamentum est, quia impedimentum criminis non est purè pœna delicti, sed principaliter est inhabilitas ad contrahendum, sicut & reliqua impedimenta. Ergo sicut alia ab ignorantia incurruntur, ita & istud.

4. Nihilominus contrariam sententiam tenet M. Paludanus in 4. sent. distinct. 34. quest. 1. num. 17. dicens; requiri scientiam impedimenti criminis, ex parte utriusque delinquentis, nec sufficere ex parte unius. Verba ejus sunt. * Item requiritur in his duobus casibus, quod uterque sciat impedimentum, de concess. præben. cap. 1. Nam altero ignorante non dirimit, ut extra eod. tit. propositum, &c. & cap. veniens extra. de spons. cum in Apostolica. * Sic ille. Et absolute requiri scientiam, licet non explicet, an ex parte utriusque, docet Fernandez in Medulla cas. conscient. p. 3. cap. 16. sect. 5. in fine, subnectens: pro hac sententia stare etiam Majorem quest. 2. dist. 37. quest. 1. artic. 4. & esse communem opinionem. Eandem amplectitur Paucius in Misc. cas. conf. tom. 2. opusc. 1. quest. 176. Et novissimè defendit doctissimus Fr. Leander à Mur-

cia in disquis. in 1.2. D. Thomam lib. 2. disp. 4. de for. et ritatem, & alias pœnas per leges Ecclesiasticas positas non incurri ab eo, qui illas ignorat, quia ignorantia vincibilis, & culpabilis, dummodo non sit vincenda, nulla, vel ferè nulla diligenter inhibita sit, Navarrus, Sylvester, Navarra, & alii. * Hanc opinionem referent non probat Diana p. 10. tract. 13. resol. 51. Et non debet habere non andet, dicens: scitèdà supradicta opinionem habere difficultatem, & nolle opinionem hanc tam præjudiciali sacris Tribunalibus sententiarum, & Datarum Romanarum calculum sumere. * Nam si haec opinio, inquit, esset admittenda, plures in contrahendis matrimoniis non essent dispensationes. * Consequentis Diana etiam sententia, sed aliud è fundamentum ex quo debetur non everat, oleum & operam perdidit. Alia pœna in casibus, abolende forent opiniones circa dispensationes: omnes enim negative Tribunalibus sententiarum, & Datarum Romanarum præjudicium, tam plures dispensationes non esse necessarias docent, ut passim apud Doctores reperies.

5. Suaderi potest sententia Paludanii, & aliorum pluribus petitis argumentis, ex doctrina P. Thome Sanchez in libris de Matrimonio. Primum delinquit ex his, quæ de impedimento criminis tractat lib. 7. disp. 5. num. 7. ubi aperte docet, impedimentum esse in pœnam delicti commissi, & ad præcedendum in pœnam. * Dupliciter, inquit, interdictum est matrimonium inter aliquos: priori modo ob speciem motuum virtutis, posteriori modo in delicti admitti pœnam, aliquodque præcedendum damnam. Et quo principio deducit, copulam habitam cum femina, cum qua ratione impedimenti criminis, neque iniri matrimonium, non habet circumstantiam in confessione explicandam. * Quia in ea, inquit, dicit ratio prohibitionis matrimonii, æquum pœna delicti admitti, & ne deat ante captionem mortis conjugis, ad contrahendum cum adulteræ. * Sic ille.

6. Ex quibus patenti opinione Paludanii sic arguunt. Impedimentum criminis est pœna delicti commissi, & simul medicina ad illa præcedenda sed nulla pœna, (licet simul habeat rationem medicinae) incurritur ab ignorante illam. Ergo neque impedimentum criminis. Minor in qua est difficultas traditur ab ipso libro 9. de Matrimonio disp. 32. num. 10. & sequent. ubi universaliter de omnibus pœnis loquendum adest, ex cap. 2. de constitutionibus in 6. In qua propositione indefinita, quæ universaliter æquivalletur: ignorantiæ excusare ab incursum pœnae, proinde ab omni pœna, ut ipse probat lib. 7. disp. 4. num. 2. sic exponens indefinitas juris propositiones. Ergo impedimentum criminis, utpote, quod pœna delicti est, non incurritur ab ignorante, sed requiritur illius notitia, quia non videtur ex hoc consonum, quod tantum sibi quis detrimentum insequendum ignorans subeat.

7. Confirmatur primò ex doctrina, quam probabilem, & piam vocat ipse Sanchez lib. 7. cap. 4. con. 1. ubi loquens de impedimento dirimente, quod ad contrahendum, mortuo marito, contrahit quis variè licentiam ei dedecit, vel dissimulaverit, ut ad contrahendum sacrum promoveretur, licet: * Temporalis quidam Doctores volentes, ut tunc matrimonium contrahendo reddatur inhabilis uxor promotioni contra-

tens quando fuit conscia juris reddentis eam inhabilem, & adhuc consensum præstitit, sive cum voto, sive abique voto. Non enim rationi consonat attendere uxorem huius sibi detinenti subsequi ex illius licentia concessione infamiam illud perpeti. Et ita docent Hostiensis, Goffredus, Alsenus, & Gaeta. Et est opinio pia, ac probabilis. Sic ille. Si ergo scientia huius impedimenti requiritur probabiliter ad illud contrahendum, cur potiori iure id in nostro casu non eveniat? In quo impedimentum criminis rationem habet pœnæ, ut fatetur ipse Sanchez supra, & tradit expressè Vazquez 1. 2. tom. 2. disp. 168. c. 3. n. 10. * dicens: * Impedimenta ex crimine profecta verè sunt pœnæ, quale est impedimentum, quod vocant uxoricidium cum machinatione ad mortem. * Quare ergo de hoc impedimento, quod de præcedenti non est attendendum? Quare de hac pœna negandum, quod dereliquis, tradunt Vazquez, & Sanchez, & passim Doctores, quos videre poteris apud Dianam 3. p. tract. 5. Misel. resol. 13. & 67. & tract. 6. Misel. resol. 7. & 41.

8. Confirmatur secundò ex ipso Sanchez lib. 9. disp. 32. nu. 18. ubi sic scribit. * Adde annullationem actus, quando non est solemnitate defectu, sed in delinquentis pœnam, non incurrit à legis ignorantia, ut bene advertit Anton. cap. de constitutione num. 19. * Bene: sed annullatio matrimonii coram Parocho, & testibus celebrati est annullatio actus, non solemnitate defectu, sed in delinquentis pœnam à lege Pontificia proveniens, ergò à legis ignorantia impedimentum criminis incurri non poterit.

9. Urgetur ex doctrina, quam pluribus citatis, defendit etiam Sanchez supra n. 49. ubi probat, ignorantiam juris humani, statuentis pœnam privationis debiti conjugii habenti copulam cum consanguineis alterius conjugis in 1. & 2. gradu, illum eximere ab hac pœna, eo quod in reliquis pœnis hæc ratio locum habeat, ac proinde in hac privationis debiti, eandem habere debeat. Ergò à simili in nostro casu dicendum.

10. Secundum pro hac sententia argumentum desumitur ex alia doctrina ipsius Sanchez lib. 9. disp. 32. citata, n. 13. ubi rationem reddens, cur excommunicatio non incurrat ab ignorante, sic ait: * Quia ex una parte excommunicatio est medicinalis cap. 1. de sent. excom. in 6. Et ex altera est ultima pœna, quæ Ecclesia punit, teste Augustino, de correctione, & gratia cap. 15. attende) At non esset medicina, sed potius obesset, si ignorata incurreretur. * Expensas quæso iterum rationem: ex illa enim argumentum ad hominem sic conficitur. Impedimentum criminis est pœna delicti commissi, secundum quam rationem non incurritur abique notitia, & simul est medicina ad præcavendum aliquod damnum, ut tradit ipse author sup. lib. 7. de matrim. disp. 3. verbis supra datis. Atqui non esset medicina, si ignoratum incurreretur: ergò nequit incurri ab ignorante. Nam de impedimento criminis, non aliter, ac de excommunicatione sentiendum est, cum eadem utrobique militet ratio: sicut enim excommunicatio ignorata nequit esse medicina ad vitandum crimen, eo quod ignorata nequeat delinquentem retrahere à crimine patrando, ita similiter impedimentum propter crimen nequit ignoratum esse medicina ad illud vitandum, cum certissimum sit, neminem ejus, quod ignorat, memoria, aut timore coerceri posse. Ac proinde sicut de excommunicatione docet Sanchez, quod ex eo quod est medicina, potius obesset, quam prodesset, si ignorata incurreretur: idem de impedimento criminis, si consequenter procedat, dicere debet. Ex utroque enim capite, medicina, & pœnæ ignorantiam, ut incurri possit, excludit.

11. Tertiò probatur, quia si propter aliquam rationem impedimentum criminis incurreretur ab ignorante, maxime quia licet sit pœna, est tamen simul, & præcipue inhabilitas ad contrahendum. Sed hæc ratio parum probat; quia ipsamet inhabilitas est in pœnam criminis statuta, atque adeo quod requiritur ad incurrendum pœnam, est etiam requisitum ad inhabilitatem incurrendam. Quod exemplis evincitur. Irregularitas ex delicto, verò, grat. ex homicidio, est inhabilitas quedam ad ordines suscipiendos, & ad utendum susceptis, & tamen quia in pœnam delicti statuta est persona particulari propria autoritate occidenti, non incurritur ab ignorante, ut alibi pluribus citatis, ostendam. Et loquentes de aliis irregularitatibus ex delicto (v. gr. ex eo quod quis censurâ ligatus celebravit, ut si excommunicatus, suspensus, vel interdictus alicujus ordinis sacri actum exerceat, vel ex eo quod scienter rebaptizavit) tenent plures Doctores, quos citatos sequuntur Thomas Sanchez lib. 9. disp. 32. M. Cornejo disp. 6. de irregularit. dub. 3. Leander à Sacram. tom. 5. de irregularitate tract. 1. disp. 4. quest. 6. Portel in dubis Regul. verbo, Ignorantia. nu. 19. Reginaldus, Peregrinus, & alii, quos citatos sequitur Diana, p. 3. tract. 5. resol. 67. Ergò licet impedimentum criminis, sit inhabilitas ad contrahendum, cum hæc sit statuta in pœnam criminis, non incurritur ab ignorante. Secundò excommunicatio, quæ & pœna, & medicina est, sicut impedimentum criminis, est etiam inhabilitas ad actus jurisdictionis exercendos: & tamen quia hæc inhabilitas est in pœnam, requirit ad sui inquisitionem, notitiam legis positivæ, eam imponentis; ergò. Tertiò: reservatio peccati est ablatio jurisdictionis ad absolvendum, atque adeo, severè, reddit inhabiles inferiores Sacerdotes ad absolutionem impetite adam: & tamen quando in pœnam delicti statuitur, non incurritur ab ignorante talem esse reservationem, ut tradit Sanchez supra disp. 32. citata, n. 18. dicens: * Hinc deducitur, dum in nova constitutione reservatur absolutio alicujus peccati in odium illius, ut fecit Sixtus V. contra male promotos ad ordines, ignorantem invincibiliter eam constitutionem, non incurtere hanc reservationem, quamvis se delinquere notit, quia ea reservatio est pœna statuta in odium delinquentis, &c. * Quod de omni reservatione docent plures, ut alibi diximus, quos cum Diana p. 6. tract. 6. resol. 42. sequitur Thomas Hurtado tom. 2. variar. resol. tract. 12. cap. 1. n. 113. fol. 323. Ergò licet impedimentum criminis sit inhabilitas ad contrahendum, non bene hinc deducitur, non exigere scientiam, ut incurrat: nam cum ipsamet inhabilitas sit nonnumquam statuta in pœnam delicti, sicut deficiente delicto non incurritur, ita nec deficiente notitia legis, in pœnam delicti, illam statuentis; quia ut incurrat in pœnam, æquè requiritur notitia pœnæ, ac ipsum delictum: juxta doctrinam, quam modò supponimus, de scientia requisita ad incurrendas pœnas, & præcipue medicinales, qualis est impedimentum criminis, ut de irregularitate, & excommunicatione, & aliis, quæ simul inhabilitates quædam sunt, diximus supra.

12. Itaque sicut duplex genus est irregularitatum, aliæ enim purè inhabilitates sunt: ut ex defectu natalium, ex defectu lenitatis, & ex defectu corporis: eas quas incurrendas non requiritur scientia legis: eas statuentis; aliæ verò sunt in pœnam delicti statuta: ut irregularitates omnes ex delicto, ad quas incurrendas notitia legis statuentis irregularitatem necessaria est, juxta plurimum Doctorum opinionem, quos dedi supra: ita similiter duplex est impedimentorum matrimonii

trimonii genus: quædam enim sunt purè inhabilitates ad contrahendum, ut impedimentum affinitatis, ex copula licita, aut etiam ex ignorantia consanguinitatis illicitè habita, cognatio spiritualis, quæ contrahitur baptizando filium communem, etiam in casu necessitatis, & similia. Quæ quidem impedimenta cum non fuerint imposita in pœnam delicti, sed propter alios fines, suis locis examinandos, sunt purè inhabilitates ad contrahendum; ac proinde non requiruntur earum notitia, sed prorsus ignoratæ incurruntur. Alia verò impedimenta sunt, quæ non purè inhabilitates, sed pœna etiam sunt, & in criminis punitionem statuta, quæ sicut, & irregularitates ad sui incursum notitia legis indigent: & huiusmodi censetur esse impedimentum criminis.

13. Ex dictis; videntur sibi Doctores citati enervasse fundamenta, quibus nititur Diana, cum aliis, ad contrariam sententiam suadendam; nempe ab exemplis petita ex lege Canonica, & civile, in quibus statuitur, ne testamenta condantur absque certo numero testium; nec professio emittatur, nisi completo integro anno novitiatus, & post annum decimum sextum: & tamen si quis (inquit Diana) ex ignorantia has condiciones omitteret, nec testamentum, nec professio valerent. Sed qui tem, me etiam iudice, argumentum Dianæ leve est: quia utitur statutis quæ rationem pœnæ non continent, nec inhabilitatem in delicti punitionem inducunt. Ac proinde cum nulla sit paritas, disparitatem reddere nos cogimur. Sicut nec in alio simili, quod adducit, de illo, qui cum cognovisset carnaliter matrem, contraxit postea bonâ fide cum filia impedimentum affinitatis ignorans. Nam hoc impedimentum, ut prædixi, cum sit purè inhabilitas, non requirit scientiam, ut incuratur: eodem enim prorsus modo incurreretur, si absque ulla culpa existimans invincibiliter esse propriam uxorem, matrem cognovisset; quod secus contingit in impedimento criminis, quod in pœnam delicti statutum est, quod proinde sicut deficiente delicto incurri non potest, ita nec deficiente notitiâ pœnæ, si aliud oppositum non probetur.

14. Denique non est dubium, potuisse Ecclesiam impedimentum criminis, etiam materialis instituire, ita ut quamvis formalis adulterii malicia, aut decisionis deficeret, maneret inhabilitas ad contrahendum, tamen de facto non instituit. Similiter certum est statuere potuisse, ut etiam ab ignorante incurreretur; ceterum dum non ita instituisse constiterit, non est cur de hoc impedimento criminis, sicut de aliis, quæ in pœnam non imponuntur, discurremus.

J. III.

Iudicium Authoris.

15. **D**edi fundamenta, quæ pro Paludani sententia congerere potui, sed contraria, & communis tenenda est. Quia sicut affinitas, & consanguinitas, & cognatio spiritualis sunt ab Ecclesia instituta impedimenta dirimentia, ne occasione conversationis, & nimis familiaritatis, quæ ex illis generari solet, actibus inhonestis, spe matrimonii contrahendi, daretur occasio; ita similiter ut adulteriis, & homicidiis, spe matrimonii futuri, omnis præcluderetur aditus, hanc inhabilitatem impedimenti criminis statuit Ecclesia, quam ab omnibus delinquentibus, sive scienter, sive ignoranter contrahi voluit,

sicut & cæteras, de quibus supra, quantum ad rationem licet hoc impedimentum, delictum principaliter intendit Ecclesia. Hoc vero non vim inhabilitatis alius impedimenti committens, deoque maiorem impedimenti notitiam exigit.

16. Secundò probatur, quia si impedimentum criminis non incurreretur ab ignorante esse delicto; nec etiam contraheretur ab illo, qui in consideratione naturali, & inculpata, seu ex inadvertentia, & oblivione, tempore commissi delicti non recordaretur esse impedimentum. Nam neque inde excusandum à pœnâ; inadvententia, & ignorantia omnino equiparantur, ut docet Thom. Sanchez in Sum. lib. 4. cap. 22. num. 18. Item rom. 5. in 3. p. disp. 4. scilicet 8. num. 11. Diana 3. p. 2. sol. 41. Puente, Hurtado 2. 2. sol. disp. 83. 84. 85. Bardi apud Dianam p. 9. tract. 6. ref. 13. dicunt, qui ex inadvertentia non recordatur censuræ, nec censuram, nec peccati relevationem incurre. (Quæ doctrina, ait Hurtado, magis consideranda indiget, quia non raro heretici suscipiunt ex inadvertentia consideratione censuræ) ergo sicut cum censuram ignorat, nec censuram, nec peccati relevationem incurrit, (ut tradunt Sanchez in Sum. lib. 4. cap. 11. 5. in fine, & cum Vazquez de alius Paludani 2. 2. p. 2. punct. 15. §. 2. & cum Egido, Granado, & Laveren Leand à Sacram. tom. de penit. tract. 1. disp. 11. 16.) ita nec cum peccat ex oblivione, seu inadvertentia ad censuram. Et consequenter si impedimentum criminis non incurrit, qui illud ignorat, ita neque qui ex ejus inconsideratione crimen admitterit. Sequelam hanc nemo concedere audebit, ut admissis principis eam faciliè vitare possent. Ergo incurrendum à fortiori est incurrendum impedimentum criminis, non esse necessarium illius notitiam.

17. Ad argumenta in contrarium facile ex dictis responderetur. Ad primum, & secundum dic, communicationem primò, & principaliter esse in pœnam delicti, & secundario in medellam. Quod est conceptu cuiusvis alterius pœnæ, in cuius impositione, & taxatione legislatores bonum reipublice legem attendunt, quam pœnarum timor, & præmonitione spe conservat. Secus verò contingit in impedimentis matrimonii instituendis, quæ suo conceptu primario non delictorum punitionem, sed alios fines respiciunt. Aliter enim affinitas ex copula fornicaria, quia delictum supponit, & idè rationem pœnæ continere dicitur, non contraheretur ab ignorante ex tali copula impedimentum oriri, quod talis ex contrarie opinionis authoribus concedetur debet. Ad tertium dic, inhabilitatem non esse in pœnam criminis primario institutam, sicut nec timorem ex copula fornicaria, & idè non considerandum quæ ad rationem pœnæ, sed quæ ad inhabilitatem contrahendam requiratur notitia. Et cum nulla considerari ex Ecclesiæ praxi, ex communis Theologorum nobis confiteri; his stare debemus.